

na, que in nobis operatur, non sicut ipsa Spiritus Sancti substantia, sed differant ab ea, tanquam effectus à sua causa.

96. Vnde dona quidem amitti, & horum respectu Spiritum Sanctum excuti posse, Davidis, Petri & aliorum exemplis certum est: ipsa interim Spiritus Sancti Essentiâ manente presentissimâ, quippè in qua sumus, movemur & vivimus, Act. 17. 28. quæq; ut Deus omnibus creaturis ἰσχωρῶν adest.

P A R S II.

ARTICVLI PRIMI
CONFSSIONIS AVGV-
STANÆ, ΑΥΤΗΓΕΤΙΚῆ.

97. Quemadmodum plus uno verum esse nequit: ita vice versa, Falsum uni, sub multiplici varietate, semper est oppositum.

98. Testis esse potest primus iste Confessionis nostræ Articulus, cujus (uti demonstratum hactenus) una & simplex est veritas: hæreses verò contra variæ ac multiplices, quas universas protestantium Ecclesiæ se damnare, ingenuè profitentur.

99. Et Diabolica planè Calumnia est Andreæ Fabritij, scriptitantis Ecclesias nostras sub specie Anathematismi, primo Articulo subjuncti,